



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dispositio Et Perioche Historiae Evangelicae Per IIII.
Euangelistas contextæ, necnon Actuum apostoloru[m],
Epistolaru[m] quoq[ue] Pauli XIII. & Canonicaru[m] VII.**

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1553

VD16 B 9605

Liber II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35634

filia & cogitationes cordis ipsorum non ignoraret, re-
busq; se seruaret melioribus. Hæc primis duobus tra-
ctantur capitibus.

LIBER II.

DILIGENTER prosequitur apostolus ea
quæ prædicationis initio & dixit & fecit do-
minus Iesus, ut sic ecclesiæ iudiciū recte informet, opti-
me sentiendi de religione Christiana, eiusq; principijs,
quæ ut aliàs sæpe, ita hic ferè solent esse difficillima.
Exposuit postremo quæ publice & palàm in templo dei
designauit Iesus, & quæ in turba disputauit, dixit & fe-
cit, exponet nunc priuatum quiddam. Nam priuatum
colloquium instituit dominus cum Nicodemo legis do-
ctore, quem, quod dici solet, fundamentaliter, & à pri-
mis initijs solide, plene, et simpliciter erudit, totam syn-
cera doctrinæ methodum contexens, ac docens regnum
dei introire cupienti in primis opus esse renascentia.
Naturam enim nostram ac primam natiuitatem nostrā
nihil in se habere lucis aut uitæ. Cæterum renascentiam
illam constare spiritus sancti renouatione, cuius operis
saluandus liquido cognoscit nihil in uiribus esse hominis
quod iustificationem & uitam mereatur beatam, alieno
merito parari illa, nempe per Iesum Christum, quem no-

Colloquia
domini qui-
bus diluci-
de suos do-
cet.

Cap. 3.

EVANGELIUM

bis gratia & dilectio dei nullum nostrum meritum dedit, & in mortem quidem crucis probrosissimam dedit, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam eternam. Ibi docet fidem in Christum ueram bonam operari opera: incredulitatem contra, causam esse omnis impietatis, adeoque damnationis. His absolutis proximis tractat apostolus illis agnitam questionem de purificatione. Cuius quidem occasione recenset quintum & illustrissimum Ioannis Baptistae testimonium, quo ille testificatus est fideles gratia Christi plene purgari. Huc enim esse Messiam uerum, in quo orbi dederit pater quicquid sit uerae salutis, ideoque credentes in Christum seruari, damnari contra incredulos. Istis admirando prudentissimoque consilio aliud & nouum colloquium attexit, & ipsum priuatum, domini & Samaritanæ mulieris.

Cap. 4.

Recepit & erudiuit in 3. cap. Nicodemum hominem clarum, Iudæum, doctum, & non aspernandæ sententia uirum: nunc uero recipit & instituit mulierem obscuram, gentilem, indoctam sceleribusque pollutissimam, uidelicet ne quis ex priore exemplo colligeret dominum sanctis modo seruandis incarnatum uenisse in mundum. Ex hoc enim intelligimus, illum etiam natum esse peccatoribus, nec Iudæis modo, sed & Gentilibus, adeoque & Samaritanis. Colloquium ipsum plurimum habet iucunditatis & suauitatis. Mirifice sese peccatoribus

triciis animo insinuat dominus: duo tamen potissimum agit. Principio ostendit se fontem esse boni & omnium gratiarum, e quo quicumq; bibant, exaturentur plenissimi. Deinde refutato cultu dei falso, docet quis sit uerus dei cultus: simul autem manifestissima confessione profitetur se uerum esse Messiam. Protinus autem fit peccatrix gratiæ diuinæ concionatrix. Euocat enim Sycharenos siue Sychimitas in occursum domini regis siue Messiae. Interea dominus apud discipulos disputat de uocatione gentium, deq; apostolatu in gentes. Certè Samaritani recipiunt dominum. At Iudæi, præsertim ciues oppiduli Nazareth, eundem aspernantur atq; repellunt. Quare adeo non offenditur dominus, ut male meritis Iudæis nihilo segnus beneficiat. Concedens enim Canam Galilææ regulo cuidam filium iam iam agentem animam seruat incolumem, eo facinore præclaro comprobans q, fidentes ipsi in uita possit seruare, utpote uitæ et omnis boni author.

LIBER III.

INSIGNES in uera religione Christiana Christi domini institutiones & disputationes hucusq; cum Nicodemo & Samaritana habite, quasi priuatae fuerunt. Sequuntur proximis duobus capitibus beneficia eiusdem Christi domini publica, quæ occasionem

Cap. 5.